

in Commun. addens, "quod qui deinceps receperint Dignitatem vel Personatum, seu officium aut aliud beneficium curam animarum habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud quo ipso jure privati noscuntur absque mora dispensatio in ordinariis manibus dimittere debeant pari modo: alioquin extunc sint ipso jure secundo privati, & nedum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcumque aliud Ecclesiasticum beneficium inhabiles reputentur.

Itaque attentis hinc Decretalibus incompatibilia sunt primi generis, duo beneficia curata, duæ dignitates, aut personatus, item unum curatum cum dignitate, idque sine in ma, siue diversis Ecclesiis.

IV. His addunt communiter Canonistæ duo beneficia uniformia, etiam sunt simplicia, sub eodem tecto, id est in eadem Ecclesia; idque auctoritate Cap. 9. De Concess. Præbendæ non vacantis, ubi respondetur, vacare ipso jure præbendam obtentam per affectuionem secundæ præbendæ in eadem Ecclesia. Id ipsum non obscure decernitur in Clem. fin. De Præbendis dum dicitur, primam præbendam hoc ipso vacaturam, cum secundam Archidiaconatus annexam fuerit pacificè affectus. Unde Glossa ibidem verbo hoc ipso ait: "Patet quod in præbendis ejusdem Ecclesiæ ipso jure per affectuionem secundæ vacat prima.

Quin credit post alios Garcias parte 11. cap. 5. nu. 182. id quoque "procedere etiam si beneficia sint talia, quæ non requirunt residentiam in conformibus titulis.

V. Deinde num. 186. monet "cavendum à Zerola qui ait quod hodie per Decretum Concilii Trid. Sess. 24. cap. 17. De Reformat. possit quis habere duo beneficia conforia sub eodem tecto, modo sint simplicia & non requirant residentiam, & non sufficientia; quæ doctrina est falsa (ait) & absque fundamento: nam Concilium ibi nihil innovat seu disponit circa hoc.

VI. Dicuntur autem uniformia, quando sunt ad eundem finem & munus instituta; qualia solent esse Canonicatus & Capellanæ; aliàs siquidem in nomine conveniant; sed munia annexa sint planè disparata, non censentur uniformia; neque sub hac incompatibilitate comprehenduntur, quemadmodum notat Gonzales ad Reg. 8. Cancell. Glossa 10.

VII. Incompatibilia secundi generis vocantur, quæ quidem simul retineri non possunt; sed quorum primam tantum non vacat ipso jure per affectuionem pacificam secundi: dicunturque propterea incompatibilia quoad retentionem. Hujusmodi beneficia incompatibilia inspecto jure communi sunt duo Canonicatus, aut duæ Capellanæ residentiam requirentes; item Canonicatus & dignitas aut etiam beneficium curatum, nimirum in diversis Ecclesiis.

VIII. Verùm dubitatur, num hæc incompatibilium distinctio per Synodum Tridentinam Sess. 7. c. 4. De Reformat. sit sublata quia decernit, quod "quicumque de cætero plura curata aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica contra formam sacrorum Canonum & præsertim Constitutionis Innocentii III. quæ incipit De multa, recipere, ac simul retinere præsumperit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat. "videtur ergo penam privationis ipso jure per constitutionem De multa decretam contra obtinentes plura beneficia curata extendisse ad omnia beneficia aliàs incompatibilia.

Attamen communior opinio praxi conformis credit, per hoc Decretum penam privationis ipso jure ad omnia generaliter beneficia aliàs incompatibilia non esse extendendam; sed Synodum exprimito beneficia curata, ac dein subijciendo clausulam generalem, & aliàs incompatibilia, voluisse dumtaxat comprehendere alia incompatibilia de quibus loquitur constitutio De multa, ut Dignitates & Personatus. Vide Zypæum in Jure Novo tit. De Clericis non resid. n. 11.

IX. Porro ad vacationem beneficii per affectuionem alterius incompatibilis primi generis, non sufficit ejus collatio etiam acceptata; sed requiritur ejus pacificæ possessio; aut saltem ut per eum steterit quò minus eam acceperit, juxta clausulam expressam in citata Extravagante Joannis XXII. "Postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo & fraude cessantibus, quò minus habeant, steterit. "Et in Clementina fin. De Præbendis, PACIFICÈ fuerit affectus.

X. Hinc concluditur, quod demum indicatur vacatio primi per affectuionem secundi, si affectuio & possessio secundi sit pacificæ; non solum de facto, sed etiam de jure, id est, non litigiosa, sed absque controversia juris & facti judiciali & extrajudiciali; ita aliis citatis latè exponit Garcias De Benef. parte 11. cap. 5. §. 1. n. 105. ubi n. 108. ait, quod primum litigiosum vacet per affectuionem & possessionem pacificam secundi.

XI. Hæc quidem ex dispositione Constitutionis de Multa innovata per Synodum Tridentinam; at eam in Gallia, saltem quoad penam privationis ipso jure primi Beneficii per affectuionem secundi, non esse receptam testatur Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis lib. 2. Instit. juris Canonici cap. 16. asseritque, in Gallia retentam esse opinionem; siue jus optandi, de quo Alexander III. in Cap. 4. De Etate & qualitat. Præbendam. Scribens quod Episcopopliceat "habentes plures Ecclesias, quæ ex uno non pendeant, appellatione postposita cogere ad unam ipsarum, quam maluerint dimittere.

XII. Verùm sicuti privato primi beneficii per affectuionem secundi juxta Decretalem De Multa, & extravagantem Joannis XXII. non inducitur, nisi post adeptam pacificam possessionem secundi beneficii; ita nec optionis necessitas inducta censetur, nisi post affectuionem pacificam secundi.

XIII. Cum autem in Gallia nemo pacificus proprie reputetur, nisi post pacificam aonalem possessionem, uti super notatum est, etiam ante annum pacificæ possessionis ad optandum cogi non potest: quod novissimè annotavit Claudius Hortii in libro cui titulus: Nonveau traité des matières Beneficiales & Ecclesiastiques accommodé à l'usage present, ubi pag. 99. ait: "In Francia provilus de duobus beneficiis incompatibilibus habet annum & diem ad faciendam suam optionem si sit possessor pacificus, potest unum, & duobus dimittere ad manus collatoris ordinarii.

XIV. Hac libertate retinendi per annum integrum duo beneficia incompatibilia nonnulli Ecclesiastici abutebantur, nimirum per annum proventus beneficiorum percipiendos; ac dein anno elapso per quamdam collusionem suscitando sibi simulatum adversarium, quo interim proventibus utriusque gaudere pergerent. Cui abusus ut occurreretur anno 1681. Regio Edicto cautum est, ut "cum uni eorum, deique personæ collata sunt duo beneficia curata, aut Canonicatus aut dignitas & beneficium curatum, aut duo alia beneficia incompatibilia, siue sit lis, siue sit pacificus possessor, provilus non gaudebit fructibus, nisi illius beneficii in quo actualiter residet, & servitium per se exsolvet: quodque fructus alterius beneficii, aut etiam utriusque, si in neutro residerit & præstiterit servitium per se, impendantur in solutionem Vicarii aut Vicariorum qui, servitium præstiterint, vel in reparationes, ornamenta aliumque usum Ecclesiæ ipsius beneficii; idque juxta ordinem Episcopi Diocesani. "Refertur in Jure Regum Edictum in opere quod intulatur Journal des Audiences tome 4. lib. 4. cap. 6.

XV. In Actis Cleri Gallicani tome 2. parte 2. tit. 15. referuntur Parliamentorum arresta quæ hanc optionem supponunt, eamque in omni genere beneficiorum incompatibilium locum habere sat patenter declarant; ac per consequens, distinctionem inter beneficia incompatibilia primi & secundi generis, quoad vacationem ipso jure hodie in Gallia esse sublatam.

XVI. In-

XVI. Inter cætera num. 14. refertur judicatum per arrestum 10. Februarii 1667. duos Canonicatus esse incompatibiles in eadem persona; in jurtumque plures possidentibus unum optare, addit hæc notabili clausula: Sicut non possunt pensiones illos quos elegerint dimittendos gravari quod conforme esse Canonico Concilii Calchedonensis, infra ostendimus titulo De Pensionibus.

CAPUT V.

De Dispensatione super pluralitate Beneficiorum.

1. Nulla dispensatio licitam reddit pluralitatem beneficiorum, nisi absint circumstantiæ quæ inordinationes abstergant.
2. Interdum graviore, interdum leviores causa ad has inordinationes abstergendas sufficiunt.
3. Vix occurrunt sufficientes quoad pluralitatem beneficiorum curatorum; & in Regno Gallie nulla dispensatio super hac admittitur.
4. Quid in Belgio obtineat?
5. Nulla dispensatio super pluralitate beneficiorum sine causa tuta est in foro Poli.
6. Hæc est sententia unanimis Canonistarum.
7. An quis satisfaciat rejiciendo onus in Papam dispensantem.
8. Petens dispensationem debet præviè examinare an sit iusta causa; & quod motivum petendi.
9. Aliquando licita dispensatio.
10. Debet semper esse recta intentio; debentque neentes dispensatione esse sapsè discutere.
11. Hodie super pluralitate beneficiorum solus Papa dispensat.
12. An hodie duæ Parochiales Ecclesie sibi vicinæ uni ad tempus concedi queant sine dispensatione Pontificis?
13. Dispensatio quæ ratione odiosa & restringenda?
14. Hanc regulam probat Bonifacius VIII.
15. Possidentes plura beneficia ex dispensatione, venentur Ordinarii petentibus dispensationes exhibere.
16. Possunt Ordinarii dispensationes examinare, & minus legitime obtentas rejicere.
17. Debet inter alia statim tempus exhiberi; & quæ pena non exhibentium.
18. Etiam possessores triennales exhibere dispensationes tenentur.
19. Imo tunc possessionis exhibendi.
20. Quando super dispensatione consulenda ab Ordinario Sedes Apostolica.

Stendimus supra capite primo hujus tituli, habere plura beneficia esse referendum inter actiones, quæ ob inordinationes iis annexas jure naturali ita sunt vitæ, ut non nisi concurrentibus circumstantiis eas inordinationes abstergentibus licitè reddi possint; eam omnem juris humani prohibitionem præveniendò; ut docet S. Thomas.

Hinc infert idem Doctor, pluralitatem beneficiorum reprobare juri naturali, quamdiu non adsunt circumstantiæ eas inordinationes abstergentes; ac per consequens nulla consuetudine, nullave humanâ dispensatione justificari posse pluralitatem quamdiu hæc circumstantiæ reipsa desunt: "ed quod dispensatio humana (ait) non auferat ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

II. Porro non omnium beneficiorum pluralitatem ead-

dem inordinationes, nec eadem incommoda habere annexa, constat; ideoque & indubitatum est, subinde graviore causas requiri, subinde leviores sufficere ad purgandam ab hisce inordinationibus beneficiorum pluralitatem; eamque attento jure naturali justificandam.

III. Quia verò vix sufficientes rationes occurrunt, quæ compensent incommoda ex non residentia beneficiorum Curatorum siue Parochialium nata oriri; adeoque etiam ex pluralitate hujusmodi beneficiorum, præsertim longè inter se distitorum; ideo in Regno Gallie ex Edicto Blesensi art. 11. nulla habetur ratio dispensationis, ut quis plures Episcopatus, vel plures parochiales Ecclesias simul habere possit; " & qui hujusmodi dispensationes impetraverunt, eadunt à beneficiis, quæ ante obtinebant, itemque revocatur hujusmodi dispensatio auxilio provocationis tamquam ab abusu interpositæ. Ita Pinlonius in tractatu De beneficiis verbo, Militia cap. 3. num. 56.

IV. Eandem mentem fuisse Principum Belgii insinuat Edictum Caroli V. 28. Novemb. 1542. art. 32. & 33. quo cautum est quod in omnibus litteris Placeti concedendis super provisionibus Apostolicis Parochialium beneficiorum, exprimitur, provilus teneri personaliter residere in loco Parochiæ, nec per alium posse deservire; quo fat insinuat, intentionem Principis esse, ut nec pluralitas beneficiorum Parochialium, quæ residentiam & servitium personale in utroque beneficio non compatitur, admittitur.

In placeto Caroli V. 25. octob. 1548. super bullis Petri Episcopi de Fano nuntii Apostolici ad has Belgicas Provincias fuit inserta clausula: Quod conferet beneficia curata Clericis residentibus & natis ex his partibus, qui sciunt idioma, absque dispensatione in contrarium.

V. Interim in quorumcumque beneficiorum pluralitate requiritur causa legitima, eaque talis quæ sufficiens sit, inordinationes pluralitati annexas abstergere, ut per dispensationem quantumvis Pontificiam, beneficiorum pluralitas coram Deo iusta & licita reddatur.

Unde de pluralitate beneficiorum loquens Abbas Paronormitanus ad Cap. DUDUM De Elect. ait "Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem beneficiorum sine causa, licet sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem; & sic non valet dispensatio, quoad Deum. "Et rursus ad Cap. CUM ADEO De Rescriptis de eadem pluralitate loquens ait: "Ubi non subest causa rationalis, non excusatur quis quoad Deum, etiam ex dispensatione Papæ.

VI. Eandem sententiam unanimi suffragio amplectuntur Canonistæ, quemadmodum videri potest apud Fagnanum ad Cap. EX PARTE De Clericis non resid. num. 65. ubi agens de dispensatione Papæ super pluralitate beneficiorum, probat sententiam Joannis de Lignano docentis, quod si Papa dispenseret pro nuda sua voluntate non habita relatione ad bonum publicum, non foret dispensator, sed dissipator. Ac dein cum eodem De Lignano concludit: "Ex quo sequitur, ut quoad Deum non sit tutus is, cum quo sic dispensatur, imò verius dissipatur.

Et generalius de dispensatione loquitur, & de omnium Interpretum consonantia testatur ipse Fagnanus ad Cap. NIMIS De Filis Presby. num. 8. dicens: "est unanimis consonantia Canonum, Conciliorum, & Interpretum, ut necessitatis, vel utilitatis causa in dispensatione, debeat esse magna; seu quod idem est major, maxima, iusta, evidens, urgens; & his consimiles, quibus sacri Canonis promiscue utuntur tamquam synonymis. Alioquin si ejusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.

VII. Quod ergo nonnulli dicunt, Papa dispensavit ipse sibi videtur, ego immunitus sum, tamquam merum cavillum explodit Cardinalis Bellarminus in Epistola ad suum nepotem; fatetur tamen, quod hic cavillus securos multos reddat; at, ut ipse ait: tutum neminem. Rationem subdit: Quoniam Papa non est Dominus, sed dispensator; ideo.

ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.

VIII. Igitur dispensationem super pluralitate beneficiorum postulare meditati merito inculcatur illud S. Bernardi ad Robertum nepotem suum *Epist. 1. num. 9. Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem.*

Instantibus forsitan alii: Num causa sufficiens subit, expendendum Pontifici relinquimus: *Utinam* (dicebat similibus Bernardus *Epist. 7. num. 9.*) non licentiam quaesisset, sed consilium: id est, non ut liceret, sed an liceret. Sed verendum, ne pluribus eorum dici possit, quod subdit Bernardus: *Malum in corde conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem donec in quo Papa conceptus praevisisset assensum.... Quod tamen, cum eodem Doctore aliter eorum, summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Profecto si quis serio attendat, quomodo, & à quibus hodie dispensationes solitari ac postulari soleant, facile conperiet, quod pluribus sine injuria regeti potest, quod hujusmodi olim gerebat S. Bernardus: Non satis "de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias, Apostolica conati estis delinire licentia. Frivolum satis remedium, quod non est aliud, nisi more Protoplastorum, cauterius conscientias texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum." *Ep. 7.*

IX. Si omnibus attentè ac maturè expensis, intelligantur tales esse circumstantiæ, ut omnis inordinatio pluralitati beneficiorum connexa videatur sublata; "ut puta ait S. Thomas, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesie vel tantumdem, quam alius præfens" ita ut, solum jus positivum pluralitati obstat, tunc, si subit in super causa sufficiens recedendi à jure positivo, aditque recta intentio in bonum Ecclesie unice directæ, licita erit dispensatio; quemadmodum docet S. Th. *Quodlib. 9. art. 15.*

X. Dum autem "aliquis hac intentione plura beneficia habere vellet, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est Præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, "ait S. Thomas loco citato; unde per dispensationem pluralitas beneficiorum cum tali intentione apud Deum justificari nequit. Et uti jam pridem dixit Guilelmus Parisiensis *tit. De Collatione benef. cap. 6.* "Indubitanter sciendum est, quod Romanus Pontifex quantumcumque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus personis, tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis suis, & his vel aliis vitiis.

Rectè ergo monuit Synodus Colonienfis anno 1536. *parte 1. cap. 32.* "Qui dispensatione Apostolicâ adversus hæc (pluralitatem beneficiorum) se tueri velint, hi viderint, ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent.

XI. Hodie super retentione plurium beneficiorum solus Pontifex dispensat; quod paulatim ex consuetudine & stylo Curie Romanæ introductum esse notat Rebuffus in *Praxi benef. part. 2. tit. De Dispensat. ad plura beneficia num. 2.* Huic consuetudini introducendæ non parum indubie favit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap. DE MULTA* *De Præbendis*, dum vetita Parochialium Ecclesiarum, Dignitatum & Personatum pluralitate, hanc clausulam subjecit, "Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per *Sedem Apostolicam* poterit dispensari.

Hac expressione creditum fuit, Concilium nulli nisi Pontifici dispensandi licentiam competere voluisse, quemadmodum innuit Matthæus Parisiensis ad annum 1235. loquens de statuto Innocentii III. super dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum; quod aliud esse non potest, quam Decretum relatum in citato *Cap. DE MULTA.*

XII. Hinc nonnulli crediderunt, si in gratiam Ecclesie Parochialis unio ad tempus fiat, aut etiam in commendam seu deservituram detur Rectori Parochialis Ecclesie vicinæ, v. g. ob Ecclesie tenuitatem, id sine dispensatione Pontificis non licere ob Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 4. De reformat.* Verum id ex mente Concilii nequaquam Episcopis prohibitum esse, probat Zypæus in *jure novo tit. De Clericis non resid. num. 6.* quod & supposuit Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 17 c. 3.* ubi modum suggerens providendi tenuioribus Ecclesiis Parochialibus, ait: "Licet Episcopis per unionem vicinarum & minorum Ecclesiarum, aut implicium beneficiorum, vel per concessionem deserviturarum: (quæ cum *commendis* coincidunt) vel alias per modum provisionis providere, "Mens enim Synodi Tridentinæ fuit, præcavere, ne fierent uniones aut commendæ in favorem personarum, non autem in bonum Ecclesiarum. Quod & praxi notorie est conforme.

XIII. Circa dispensationem plurium Beneficiorum à Pontifice impetratam notandum, eam, utpote indulgentem pluralitatem beneficiorum, sacris Canonibus eatenus vultus aliquod infligere; eoque titulo reputandam esse odiosam, nec consequenter ultra expressum verborum tenorem posse extendi, quemadmodum notat Rebuffus in *prax. benef. parte 2. tit. De Dispensat. ad plura beneficia num. 64.* ibidem inferens: "Quamobrem non extenditur etiam ad casum habentem majorem rationem, arguendo à majori ad minus, ut nec dispensatus ad curatum censeatur dispensatus ad simplex.

Hinc ulterius inferit *num. 67.* "Ideoque debet esse cautus impetrans, ut exprimat & simplicia & curata aut aliàs qualificata, aliàs neutquam in dispensatione comprehendantur.

XIV. Hisce conforme est, quod respondit Bonifacius VIII. in *Cap. 2. tit. De Præbendis in 6.* "Non potest dispensatio super pluralitate beneficiorum concessa, impetranti prodelle, qui aliquod *quantumcumque modicum* beneficium subicit in eadem.

Eidem fundamento innititur quod subjungit: "Illud autem Apostolicæ Sedis indultum, ut quis duo beneficia curam animarum habentia, si aliàs canonicè conferatur eidem, possit recipere ac simul licitè retinere: intelligitur de duobus *primis* beneficiis quæ cum cura post dictum indultum obtinere contingit eandem.

XV. Cum autem non raro impetrentur dispensationes ex falsa narratione, vel ex causa minus legitima, aut per importunam inhiantium sollicitationem, qua mediante non raro non concedenda conceduntur, aut etiam interdum ipsæ dispensationes contra mentem concedentis extenduntur, voluit Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 5. De reformat.* ut "Ordinarii locorum, quoscumque plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant, & aliàs procedant juxta constitutionem Gregorii X. in generali Lugdunensi Concilio editam, quæ incipit, *Ordinarii*: quam eadem sancta Synodus innovandam censet & innovat.

Constitutio Gregorii X. quam hic innovat Synodus Tridentina refertur in *Cap. 9. De Officio Ordinarii in 6.*

XVI. Concilium Lugdunense, & Tridentinum illius constitutionem probans & innovans, non tantum permiserunt Ordinariis simpliciter revideri dispensationes, sed etiam rejici ac reprobari, si absque vera & legitima causa fuerint impetratæ; uti monet Weymsius in *Analyfi ad hanc Constitutionem num. 7.* "Etsi enim (ait) illa rejiciendi potestas non reperitur expressè data Episcopis, quia tamen Concilium Lugdunense voluit non molestari amplius eos, quorum dispensatio exhibita evidenter apparet sufficiens, satis intelligitur à contrario sensu, Ordinariis attribuisse potestatem molestandi eos quorum dispensatio evidenter sufficiens non est: cum alioqui frustra videtur data examinandi potestas, si reprobandi non poteret.

XVII. De-

XVII. Debent autem secundum constitutionem Concilii Lugdunensis, dispensationes suas "exhibere intra tempus pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio.

Si verò intra tempus, justo cessante impedimento, nullam dispensationem exhibuerint, tunc vigore dictæ constitutionis eo ipso beneficia illa illicitè detineri constabit; poterintque illa tamquam verè vacantia per eos, ad quos collatio spectat, liberè aliis personis idoneis conferri. "Ita enim receptum est (ait Weymsius *num. 8.*) ut ubi lex Canon sic ipso facto imponit penam incurrandam ex eo, quod Judex statuerit terminum defensionis, cum eo ipso penam incurrat Reus, quod se non defenderit, etiam si nulla intercesserit Judicis condemnatio vel declaratoria sententia.

XVIII. Notat quoque ibidem Weymsius *num. 10.* possidentes plura beneficia, se non posse tueri contra hoc Decretum de exhibenda dispensatione per Regulam Cancellariæ de *triennali possessore*: propterea quod ipsis adversetur juris communis prohibitio, quæ non patitur eos juris beneficio adjuvari: & ita S. Congregationem declarasse testatur.

XIX. Deinde *num. 11.* quod non tantum dispensationes suas, sed etiam possessionum *titulos* ipsis Ordinariis exhibere teneantur: "cum Ordinarii rectè judicare

vix possint de dispensationibus, nisi simul etiam videant & cognoscant *titulos* quorum vigore beneficia plura incompatibilia possidentur, receptum est, teneri Beneficiatos etiam *titulos* Ordinariis exhibere, adeo ut *titulorum* exhibitio censeatur de substantia actus & absque illa non intelligantur beneficiati satisfecisse suis Ordinariis, etiam si maxime affirmant se justè & canonicè possidere; quia *tituli* necessariò exhiberi debent & in scriptis probari, nec sufficiunt testium dicta quod scripturam *titulorum* ipsi viderint: neque etiam de eo solo dispiciendum est, an *titulus* aliquis subit, sed etiam an bonus sit & validus, quod non nisi ex ejus inspectione cognosci potest.

XX. "Si de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum: cuius est æstimare, quem modum sui beneficii esse velit," ait Concilium Lugdunense in hac Constitutione.

Quid si quidem de dispensatione contestet, sed Ordinarius intelligat, non sine scandalo tolerari posse? Indubie Sedes Apostolica, & super hoc informanda & consulenda erit conformiter ad responsum Alexandri III. in *Cap. 6. De Præbendis*, quo respondit, quod æquanimiter sustineat, si mandatum pro alicujus provisione à Sede Apostolica directum Ordinarius non exequatur, si non potest ei sine scandalo provideri.

TITULUS XXI. De Ordinaria Beneficiorum Provisione.

CAPUT I.

Qui Beneficiorum Collatores Ordinarii, ac præcipue de jure Episcopi.

1. Qui dicantur Collatores ordinarii.
2. Episcopus ex jure communi habet fundatam intentionem in collatione beneficiorum suæ Diocesis.
3. Collatio soli Episcopo competit, quando collatio beneficiorum erat conjuncta Ordinationi.
4. Ratio suadens Episcopo deferendam esse beneficiorum collationem.
5. Jus Episcoporum circa beneficiorum collationem reputatur favorabile.
6. Si non ostendatur beneficii collator, tunc ad ipsum Episcopum collatio spectare censetur.
7. Olim Episcopus in electione Ministrorum Clericis suam consulere debebat.
8. Capitulum Cathedralis jus illud Cleri præcedit in collatione beneficiorum.
9. Episcopus prohibetur personas instituire aut destituere sine consilio Capituli.
10. Id præcipue obtinet quoad Canonicos Cathedrales; & quare?
11. Hinc in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus electio Canonicorum est communis; sed non ubique eodem modo ad electionem concurrunt.
12. Aliquando Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli.
13. Ad vitandam discordiam inducitur alternativa inter Canonicos & Episcopum.
14. Dum Episcopus confert Capitulariter cum Canonicis quod suffragium habeat?
15. Aliquando concurrunt ut Canonicus, & suffragio Canonici gaudet.
16. Quomodo jus eligendi Canonicos Cathedrales in aliquibus Ecclesiis ad solum Capitulum devolutum sit?
17. Episcopus hodie in collatione Præbendarum ad

- suam collationem spectantem non petit consilium Capituli.
18. Jure communi collatio Præbendarum in Ecclesia Collegiata spectat ad Capitulum.
 19. Unde fiat, quod collatio similium Præbendarum in multis Ecclesiis spectet ad solum Præpositum.
 20. Ad quos soleat spectare Dignitatum collatio in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.
 21. Jus collationis beneficiorum unde hodie præcipue colligendum.
 22. In omni beneficiorum provisione convenit ne interveniat auctoritas Episcopi.
 23. Ostenditur, quomodo hodie in omni collatione aliquatenus Episcopi auctoritas interveniat.
 24. Collatio beneficiorum olim Ordinis Episcopalis merito dicta, hodie est jurisdictionis.
 25. Non tamen transit in Capitulum Sede vacante.
 26. Ratio Canonistarum petita ex natura fructuum semproventuum Episcopatum; quibus jus collationis annumerant.
 27. Quam mala idea de beneficiorum collatione hinc concipiatur.
 28. Hæc ratio à Spiritu Ecclesie aliena.
 29. Ratio Canonistarum nullibi in jure probata; & quare ratio quod jus conferendi non transeat ad Capitulum Sede vacante.
 30. Collatio beneficiorum Curatorum in multis Ecclesiis Gallicanis devolvitur ad Capitulum & in Belgio à Capitulo concurrens instituitur.

In materia collationis beneficiorum, nomine Ordinarii non tantum venit Episcopus; sed etiam quivis alius, quibus quocumque titulo competit jus collationis nomine proprio, quo dici queant collatores jure suo seu ordinarii, & non ex alicujus speciali delegatione pro hac illave vice. Vide Garciam De Benef. *part. 5. cap. 4. n. 1. & 2.*

II. At